

DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO

ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM D. N.

BENEDICTUM XIV.


PONT. MAX.

A

JOANNE LERCARI

PATRICIO GENUENSI

Collegii Clementini Convictore.





ROMÆ, Typis Bernabò, & Lazzarini, MDCCXLI.

SUPERIORUM PERMISSU.

SANCTISSIMO PATRI

BENEDICTO XIV.

PONT. MAX.

JOANNES LERCARI

FELICITATEM.



I qua alias Oratio habita multis de caussis ad Te pertinuit, BEATISSIME PATER, *hanc certe dixerim, cujus Te coram pronuntiandæ onus mihi honorificentissimum demandatum est. Etenim*

non ea est solum, quæ Tibi conveniat quam maxime, propterea quod de Sanctissimæ TRINITATIS *Mysterio agat, quod ad Fidei, quam profitemur, præstantiam significandam Ecclesia universa, cujus Caput es, constantissime, atque integerrime veneratur: sed illa insuper, cujus texendæ ex Pontificatus ad totius Christiani Orbis præsidium atque incrementum ad Te delati egregiis bonis ac fere divinis argumentum nactus sum. Accedit quoque in eo me Collegio censeri, atque instituì, in quo sicuti Te olim a puero fuisse versatum, mihi cunctisque in eodem degentibus pulcherrimum est, ac multo gloriosum recordari; sic Tibi etiam haud molestum, quin ausim dicere jucundum, singulari illa, qua omnes & singulos in hanc domum adscriptos, benevolentia munificentiaque complecteris, testatum esse voluisti. Atque id omne profecto in caussa est, cur non sim deterritus, quominus paginam hanc meam Tuo sacro nomini inscriptam voluerim; etsi multa, nec levia quidem se mihi objicerent, quæ*


a su-

a suscepto consilio me jure avertere potuissent. Hinc enim scriptiunculam ipsam nulla elaboratam industria, nulla arte perfectam, rudem utique, crassoque filo contextam videbam: illinc vero Sapientia Tua occurrebat animo, quæ sane quanta sit, cum superiori ætate, tum palam eo maxime die gentium omnium litteris ac linguis celebrando comprobasti, quum amplissimorum Cardinalium, Judicumque corona stipatus, Roma spectante, unaque doctissimo Jurisperitorum admirante cœtu singulorum sententiis ad trutinam antea vocatis, seu lites æquissime composuisti, seu justissime jure contendentibus adjudicasti. Quod profecto illius tantummodo poterat esse Pontificis, quem scilicet & incredibili ferme doctrina instructum, & rursus dexteritate, consilio, pietate, ceterisque virtutibus cumulatissimum divina Ecclesiæ Providentia reservavit, ut iis par esset malis propulsandis, quorum omnium maturitas calamitosissimis hisce temporibus in Europam jam jam erumpere universam videtur. Verum

quorſum hæc? An Tuis in laudibus aures adeo peregrinantur meæ, ut apprime non intellexerim maximas inter virtutes Tuas non poſtremam habendam eſse Humanitatem, qua omnes excipis amantiſſime, neminem non Tibi devinctum, non lætum, non effuſe Te prædicantem dimittis? Hocce igitur munus, Beatissime Pater, *quantulumcumque eſt totum certe tuum, ad ſanctiſsimos pedes Tuos provolutus Tibi ſiſto; quod quidem ſi lubenti a Te animo exceptum cognovero, meque ſimul Apoſtolica Tua benedictione munitum, tum denique non mediocri me bono cumulatum judicabo.*



ORA-



ORATIO.



UÆ res, BEATISSIME PATER, in loci hujus amplitudine, & sanctitate ad dicendum accedentem vehementer commovere consueverunt, hæ profecto singulæ hodierno die obversantur animo, & divina simul atque humana cogitantem in varias trahunt partes diducuntque. Sive enim propositi altitudinem argumenti considero, de abditissimo divinæ TRINITATIS Mysterio mihi disserendum est, cui parem eloquendi copiam, rerumque magnitudinem invenire, cum factu arduum omnino, tum etiam est cogitatu temerarium; sive eum intueor, apud quem dico, Te præsente

Anselmus de Incarnat. ad Urbanum.
Bernard. l. 2. de Consol. ad Eugen.

sente mihi verba facienda sunt, qui quum universæ Ecclesiæ Dominus, & Pater, Sacerdos Magnus, Princeps Episcoporum, Potestate Petrus, Unctione Christus meritò habearis, incredibili quadam, ac plusquam humana, prope dixerim, Majestate mentem ita offundis, ut in ipso orationis vestibulo hæream vel invitus, totisque artubus contremiscam. In tanta igitur rerum magnificentia quum verser, desponderem profecto animum, ultroque victus recederem, nisi ipsa Pontificis dignitas, qua ceteris hominibus ad Deum propior accedis, eam mihi loquendi materiem ex tempore aperiret, quæ Auditoris æque, ac Mysterii præstantiam minime prorsus dedeceat. Summa enim, atque excellentia Pontificatus privilegia quemadmodum eximiam quamdam, ut ita dicam, Sanctissimæ TRINITATIS imaginem præseferunt, ita illud efficiunt, ut, quantum homini licet, ad maximi hujus Arcani cognitionem animus assurgere videatur.

Et quidem amplissima illa, nullisque circumscripta finibus a Christo in commissum gregem Romano Pontifici tradita potestate, qua Ipse tam dominatur in eos, qui Catholica Religione censentur, quam eos ex credentium communione exterminat, qui Fidei bellum in-

di-

dicentes funestum cum portis Inferi fœdus pepigere, qua eandem adversus nefarias perfidissimi hostis machinationes incolumem, inviolatamque ita conservat, ut nulla sit in ea macula, qua Cœlum aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit, ligat, & solvit, quis unquam Dei potentiam referri probe non intelligat, quæ verbo condidit universa, atque in dies moderatur, quæ superbientes Spiritus in tenebras detrusit sempiternas, quæ populum suum in manu Mosis & Aaron attritis servitutis laqueis per maris undas ex Ægypto deduxit, quæ ad Principem hujus Mundi foras ejiciendum, nosque incolumes ab improbis ejus conatibus servandos e sinu Verbum suo in terras demisit? Quod si ad firmissimam illam oraculorum veritatem mentem inde convertimus, qua Deus in omnibus tum Fidei, tum morum disceptationibus supremum ita præditum voluit Antistitem, ut neque a quopiam falli, neque fallere quempiam possit: quum haud humanæ profecto scientiæ, qua inflari homines potius, & sæpenumero etiam, quod luctuosissimum est, in errores abripi præcipites solent; sed divinæ dumtaxat Sapientiæ sit: eximio isto, ac plane necessario universæ Ecclesiæ Pastori privilegio æternam Dei Sapientiam exprimi non

Cant. Cantic. cap. 4. v. 7.

Matth. 16. ver. 19.

Psalm. 76.

Joann. 12.

1. Cor. cap. 8.

non exploratum esse potest nemini, Sapien-
Proverb. cap. 8. vers. 15. tiam, inquam illam, per quam Reges regnant, & legum conditores justa decernunt, qua duce nobis ad Cœlum facilis sternitur via, qua magistra, cœlestium explicatur veritas mandatorum, qua denique adjutrice, beata hominum vita in tuto collocatur. Ecquis enim nesciat,
Joann. 14. v. 6. viam, veritatem, ac vitam, quum homines inter factus homo versaretur, æterni Patris Filium se prædicasse? Jam porro voces illæ suavitatis, atque amoris plenæ, quibus Serva-
Joann. 10. v. 11. tor Pastorem se bonum appellat oves suas pascentem, quibus Petro, Romanisque Episcopis carissimum gregem dulcissime commendat:
Joann. 21. v. 17. Pasce oves meas, quid aliud sane innuunt, nisi Spiritum caritatis summo Christiani Ovilis Pastori eo consilio immissum, ut non modo editissimæ virtutum cumulus dignitati accederet; sed etiam, ut ei divino quodam, atque indissolubili vinculo Ecclesia jungeretur universa? Quo quidem nihil est, quod magis ad credentium concionem bene temperandam conducat. Etenim, qua unquam ratione vel ducere oves Pastor suas, vel ducentem sequi
Joann. 10. v. 14. oves possunt, nisi Ipse suas cognoscat, Ipsum suæ? Quid autem est cognoscere, nisi amare? Itaque, BEATISSIME PATER, Te certe omnes, mente, oculis, fronte divinæ caritatis speciem,

ciem, atque adeo Deum ipsum, qui Caritas ipsa est, repræsentare intelligant oportet: haud enim fieri potest, quin ea voluntate, qua Gentes in justitiæ semitam dirigis, socordes excitas, excitatas erigis, in viam revocas aberrantes, Dei Amorem erga homines expressum deprehendant, qui nos omnes vult salvos fieri, atque ad agnitionem veritatis venire, ut filii Dei nominemur, & simus, hæreditatemque beatissimam nobis in Cœlis conservatam tandem adeamus. Quæ, si vera sunt, si præcipua quadam ratione Patrem, quippe omnis originis fons est, Omnipotentem vocamus, si Filium, qui æternum Patris verbum est, Sapientiam, si Spiritum Sanctum, qui utriusque amor est, Bonitatem; nemo sane non viderit Pontificia dignitate, una quidem, triplici tamen potestatis, sapientiæ, amoris munere ita constituta, ut alterutrum eorum si desideretur, ipsa omnino esse non possit, Sacerdotem Maximum Unitatem Dei, ac Personarum Trinitatem significare, eo sane nexu conjunctam, ut neutra invicem abstrahi queat, quin Dei natura funditus evertatur. Quam ob rem in gloriosa magni hujusce diei celebritate gratiæ habeantur Deo quam maximæ, qui quum in admirabile lumen suum nos vocaverit, & Sacramentum supra humanam

omnem

Joann. Ep. 1. cap. 4. v. 8.

Paul. 1. Timot. 2.

1. Joann. c. 3. Petr. 1. v. 4.

Catechis. Rom. Par. 1. cap. 2. §. 14.

Petr. 1. cap. 2. v. 9.

omnem investigationem positum, tamquam certissimam genuinæ Fidei tesseram, nobis credendum proposuerit; in supremo tamen Pontifice, eximiis in eum bonis undique collatis, ita ejusdem imaginem exhibuit, ut per hanc ad illius cognitionem, quantum est in nobis, pervenientes in AUGUSTISSIMÆ TRINITATIS venerationem impensius effunderemur. Id autem reliquum est, BEATISSIME PATER, ut jam Universitatis hujus Conditorem, ac Dominum, Solem Sapientiæ, Caritatis Fontem etiam atque etiam enixe rogemus, ut claritatis suæ radiis excussæ nationes omnes, ex quæsitis hæreseos latebris emergant aliquando: & depulsa errorum omnium caligine, ad Unum Trinumque Deum colendum, Teque simul Pastorem unum maximumque immutabili Religione, & perfecta jugiter caritate cum Ecclesia consocientur.

FINIS.

